



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de  
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de  
Matrimonio

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniae Agrippinae, 1671**

§. V. Causalitas physica Sacramentorum novæ legis, variis congruentiis  
suadetur,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

Tertio, D. Thomas art. 3. hujus questionis, docet quod gratia est in sacramento, secundum quamdam instrumentalem virtutem, quae est fluens & incompleta, & quam locis art. sequenti §. 6. referendis, dicit esse qualitatem: Sed virtus fluens, & incompleta, & quae est vera qualitas, physica est, & non moralis, ut de se patet: Ergo sacramenta novae legis, juxta doctrinam D. Thomae, instrumentaliter physice concurrunt ad producendam gratiam.

Quarto, Idem S. Doctor in 4. dist. 14. quaest. 2. art. 4. sic ait: Penitentia, ut est sacramentum, effectivè tollit peccatum ex parte maculae, quia gratiam tribuit, sicut inducens albedinem, aufert nigredinem. Et secundum hoc penitentia, in quantum est sacramentum, peccata dimittit, quia sacramentum novae legis est causa instrumentalis gratiae, ut in prima distinctione dictum est. Sed inducens albedinem, aufert nigredinem effectivè physice: Ergo ex S. Thoma, sacramenta causant gratiam, & auferunt maculam animae, effectivè physice.

Quinto, juxta D. Thomam eodem modo philosophandum est de sacramentis novae legis, quantum ad efficientiam gratiae, ac de humanitate Christi; docet enim hic art. 5. quod cum Deus sit causa principalis gratiae, humanitas Christi instrumentum conjunctum, & sacramentum, instrumentum separatum; & per instrumentum conjunctum moveatur separatum, ut baculus per manum, oportet quod virtus salutaris à Divinitate Christi, per ejus humanitatem, in ipsa sacramenta derivetur. Et quaest. 27. de verit. artic. 4. ad calcem corporis articuli, ait quod sacramenta participant aliquid de virtute illa, quae humanitas Christi instrumentaliter ad justificationem operatur, ratione ejus sanctificationis Baptismo, sanctificationis sanguine Christi dicitur ab Apostolo ad Hebraeos 10. At juxta eundem Sanctum Doctorem, Christi humanitas, non solum moraliter, sed etiam physice causat gratiam: Ergo & sacramenta novae legis. Minor probatur ex Divo Thoma supra quaest. 13. art. 2. ubi loquens de anima Christi, in quantum est instrumentum unitum Verbo, dicit quod habet virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, quae conducunt ad finem incarnationis non tamen ad annihilationem, vel creationem. At si non loqueretur de instrumento physico, sed morali, evidens est quod non posset negare virtutem moralem ad creationem, vel annihilationem; nihil enim repugnat quod Christus impetare possit annihilationem diaboli, vel creationem unius Angeli, vel animae Ergo &c.

Item idem S. Doctor supra quaest. 48. distinguat aperte modum physicum, quo passio Christi operata est salutem nostram, à modo morali. In primo enim articulo determinat quod per modum meriti operata sit salutem, in secundo, per modum satisfactionis; in tertio, per modum sacrificii; in quarto per modum redemptionis, qui omnes quatuor modi sunt causalitatis moralis: Ergo quando postea art. 5. determinat quod etiam per modum efficientiae operata sit salutem, tanquam Verbi instrumentum, manifestum est, ipsum loqui de efficientia physica, de morali enim quatuor praecedentibus articulis locutus fuerat.

Praeterea, cum Magister in 4. dist. 10. articulifet haec verba S. Ambrosij, quae etiam referuntur à Gratiano de consecratione dist. 2. Si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret.

Tom. V.

ret, valebit tantum sermo Christi, ut substantias mutet: in expositione textus id declarat S. Thomas, dicens: Locus est à minori: unde intelligendum est quod plus valeat sermo Christi, & in persona Christi prolatus: quia sermo Eliae in seipso non habebat virtutem aliquam, sed operabatur per modum intercessionis; sermo autem Christi habet virtutem intraneam, de qua supra dist. 8. dictum est: Cum ergo sermo Eliae habuerit virtutem moralem, moventem Deum ad patranda miracula, virtus Christi intranea verbis ejus, fuit virtus instrumentalis physica, ad patranda opera miraculosa, & gratiam producendam; & non solum moralis: juxta illud prophetae Mal. 67. Dabit voci suae virtutem.

Denique, D. Thomam causalitatem physicam in sacramentis novae legis admisit, eo manifestè patet, quod in 4. sent. dist. 4. quaest. 3. art. 2. quaestione 3. expressè docuit, Baptismum cum fictione susceptum, recedente fictione, producere gratiam, ratione characteris, in quo virtualiter remanet, & in quo tanquam in semine, ex sacramento praeterito relicta est virtus gratiae productiva. Verba ejus sunt: Ad tertiam quaestionem dicendum, quod in Baptismo imprimatur character, qui est immediata causa disponens ad gratiam; & idè cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quae effectum characteris impedit, character qui est praesens in anima, incipit habere effectum suum, & ita Baptismus, recedente fictione, effectum suum consequitur. Ex hac, inquam, S. Thomae doctrina, manifestum relinquitur, ipsum causalitatem physicam in sacramentis novae legis agnovisse; si enim moralem tantum admisisset, non debuisset recurrere ad characterem, in quo virtus gratiae productiva, ex praecedente sacramento relinqueretur, & in quo illud tanquam in semine virtualiter permaneat; nam causa duntaxat moralis potest moraliter operari, etiam quando non est, & licet nullam virtutem sui vicariam reliquerit. Videat ergo Bernal, an assertores influxus physici sacramentorum novae legis, qui eum S. Doctori tribuunt, sint ignorantes, inepti Philosophi, summe Stupidi, & increduli officiantes: his enim praclaris encomiis Author ille, non solum Thomistas, sed etiam illustriores Societatis Theologos, qui physicam (ut supra ostendimus) sacramentorum novae legis causalitatem admittunt, loco supra citato extollit. Sed huic egregio Encomiasti respondere sufficit illud Proverb. 20. Qui contumeliam profert, insipiens est.

S. V.

Causalitas physica sacramentorum novae legis, variis congruentiis suadetur.

LIcèt nulla possit dari ratio à priori, cur sacramenta novae legis instrumentaliter physice caulent gratiam (hoc enim ex sola Dei voluntate pendet, quia voluit ut instrumenta physica affluere, eisque vim instrumentalem gratiae productivam imprimere) variè tamen assignari possunt congruentiae, & rationes probabiles, quibus haec veritas suaderi potest.

Prima sumitur ex D. Thoma quaest. 27. de verit. art. 4. ubi docet quod opinio illa quae sacramentis novae legis causalitatem solum morale attribuit, non sufficienter salvat dignitatem illorum supra sacramenta veteris legis, nec nobiliorem causandi modum in illis quam in istis agnoscit; constat enim moralem causalitatem non defuisse

57

58

G

de fuisse sacramentis antiquis, cum enim essent signa passionis Christi futurae, cuius intuitu Deus in antiqua lege gratiam conferebat, vim quandam moralem excitandi Deum habebant, ad conferendam gratiam, ob merita Christi futura; unde si sacramentis novae legis nulla alia virtus tribuatur, quam vis illa moralis, & excitativa, manifestum est ea non elevari supra sacramenta vetera, nec ab illis differre quantum ad modum operandi, sed tantum ex parte rei causatae, maioris scilicet & abundantioris gratiae, quam causant sacramenta novae legis, quatenus significant passionem Christi praeteritam, quam sacramenta vetera representabant solum ut futuram. Quod ut docet S. Thomas loco citato, non sufficit ad salvandam dignitatem sacramentorum nostrorum supra sacramenta vetera; & magis pertinere (inquit) ad conditionem temporis, quam ad dignitatem sacramentorum; quia in tempore illo promittebatur gratia, nunc autem est tempus plenitudinis gratiae, propter reparationem humanae naturae iam factam; unde secundum hoc sacramenta ista, si tunc fuissent cum toto eo quod nunc habent, nihil plus fecissent quam illa, nec illa nunc minus facerent quam ista, nulla eis additione facta.

59. Confirmatur & magis illustratur haec ratio. Sacramenta novae legis differunt à sacramentis legis Mosaicae, & aequè superant in hoc, quod sacramenta vetera erant tantum signa gratiae, nova autem sunt non solum signa, sed etiam causae illius: Sed hoc intelligi nequit de sola causalitate morali: Ergo in sacramentis novae legis, praeter moralem causalitatem, realis & physica admittenda est. Major patet, Minor probatur. Causalitas moralis, si qua in sacramentis novae legis intervenit, non excedit rationem signi: Ergo quando sacramenta nostra per hoc dicuntur differre ab antiquis, quod ista sunt tantum signa gratiae, illa verò simul causae & signa, hoc de causalitate solum morali intelligi nequit. Consequentia patet, Antecedens probatur. Sacramentis nostris non potest competere causalitas moralis, ratione alicujus actus moralis, quem ipsa exercent & eliciant; sicut meritum, aut satisfactio, vel redemptio, sunt actus moralis causalitatis: Ergo illis solum potest competere causalitas moralis, secundum aliquid relictum ab actibus moralibus, ut contineant eorum valorem, & efficaciam in effectum: haec autem continere nequeunt, nisi significando & representando talem efficaciam & valorem; sicut chirographum representat obligationem debitoris, & denarius plumbeus est signum voluntatis regiae dandi tale vel tale officium, vel dignitatem: Ergo omnis causalitas moralis communicata sacramentis, solum potest esse per modum signi significantis efficaciam actuum meritoriorum & moralium Christi. Et hujus ratio est, quia non est causalitas moralis in istis inanimatis, nisi in quantum movent voluntatem aliquam, ut ipsis positus conferat effectum; quae motio fieri ab eis non potest, nisi ut à signo.

60. Confirmatur amplius: Chirographum est tantum causa moralis largitionis pecuniae, in quantum excitat memoriam hominis ut recorderet se debere, & convincatur, si neget: Sed non excitatur ejus memoria, nec convincitur per chirographum, nisi quia illud est signum voluntatis & consensus prioris exhibiti; unde si adessent alia signa, quibus probaret non consensisse, resinde-

retur contractus, & nulla foret obligatio: Ergo causalitas moralis non transcendit rationem signi, subindeque si sacramenta novae legis causent tantum moraliter gratiam, & sint tantum velut chirographa promissionem Dei de largienda gratia, non suscipientibus significantia, non erunt vera causae gratiae, sed tantum signa illius, hinc deinde à sacramentis veteris legis non differrent.

Secunda ratio: Cum Deus pronior sit ad mirandum, quam ad puniendum, & sit (ut loquitur Tertullianus) de suo misericors, de nostro punitor, congruum est ut instrumenta divina misericordiae ad sanctificandos homines, non habeant imperfectionem & ignobiliorum modum operationis, quam instrumenta divinae justitiae ad illos puniendos: At divinae justitiae instrumenta (sicut scilicet inferni, & purgatorii) virtute divina purgant ac physice dolorem & tristitiam in ipsis cadentibus (ut ait Augustinus libro 21. de civitate dei 10.) praestant miris, verum tamen modis, de quibus plura diximus in Tractatu de Angelis: Ergo praevidendum est sacramenta novae legis instrumentaliter physice concurrere ad sanctificandos homines, idque miris, veris tamen modis efficere, ut supra ex Cathedismo Pii V. collatum est.

Tertia ratio: Sacramentum poenitentiae physice producit gratiam: Ergo & alia sacramenta novae legis. Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens verò probatur primo ex D. Thoma supra citato, ait enim in 4. sententiarum dist. 1. quaest. 2. artic. 4. quod poenitentia, ut est sacramentum, effectivè tollit peccatum ex parte materialis, quia gratiam tribuit, sicut inducens albedinem, tollit nigredinem. Quibus verbis aperte docetur sacramentum poenitentiae physice producere gratiam.

Secundò probatur Antecedens: Eo modo producit gratiam sacramentum poenitentiae, quod sacerdos poenitentem absolvens: Sed hic physice producit gratiam: Ergo & poenitentiae sacramentum. Major patet, Minor probatur: Tum quia veritatem horum verborum, *Ego absolvo te*, sacerdos est ut sacerdos verè & realiter peccatum remittat: Sed hoc non potest, nisi verè, & realiter producendo gratiam; atque adeò physice, quae causa physica & realis, sit illa quae verè & realiter influit in effectum, & efficientia moralis, sit propria tantum & metaphorica causalitas. Item etiam, quia non apparet quomodo sacerdos, verò sententiam proferat, nisi moraliter tantum peccata remittat; sicut enim qui chirographum exhibet, quo oblatio debitum solvitur, non debet solvere tale debitum: ita si sacerdos admittendo sacramentum poenitentiae, habeat tantummodo oblatio, veluti chirographum, quo oblatio & applicatio, Deus confert gratiam, non poterit dici sacerdos causare gratiam remissionem peccati.

Confirmatur: Sacramentum poenitentiae solbet per modum iudicii, & in eo Sacerdos gerit vices Iudicis, & poenitens vices rei: Sed iudex in humanis, non excitat alium ad absolutionem, nec impetrat ejus absolutionem; sed propria auctoritate à Principe sibi commissa, eum absolvit: Ergo & Sacerdos in tribunali poenitentiae, verba illa, *Ego absolvo te*, profertens non solum excitat moraliter Deum ad illam remissionem gratiam à vinculis peccati remissionem.

nece solum a Deo impetrat ejus absolutionem, sed A  
 auctoritate Christi sibi commissa, verè instru-  
 mentaliter eum absolvit, & gratiam remissivam  
 peccati, divinae virtutis instrumentum, phy-  
 sicè ei confert, & producit in anima ejus. Unde  
 D. Thomas infra quæst. 84. art. 3. *Solus Deus*  
*per auctoritatem, & à peccato absolvit, & pecca-*  
*rum remittit; Sacerdotes tamen utrumque faciunt*  
*per ministerium, in quantum scilicet verba sacerdotis*  
*in hoc sacramento instrumentaliter operantur in vir-*  
*tute divina; unde & Dominus expressit utramque,*  
*nam Matth. 16. dixit Petro, quodcumque solveris su-*  
*per terram &c. Et Joan. 20. dixit Discipulis suis,*  
*Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et in*  
*resp. ad 4. ait quod Apostolis non est data potestas,*  
*ut ipsi sanarent infirmos, sed ut ad eorum orationem*  
*infirmi sanarentur: est autem eis collata potestas*  
*operandi instrumentaliter sive ministerialiter in sa-*  
*cramentis, & ideo magis possunt in formis sacramen-*  
*torum exprimere actum suum, quam in sanationibus*  
*infirmorum.*

Quarta ratio: In eodem genere causæ sacra-  
 menta concurrunt ad gratiæ productionem, quo  
 humanitas Christi: Sed humanitas Christi ad  
 gratiæ productionem physicè concurrat: Ergo  
 & sacramenta, Minor fusè probata fuit in Tra-  
 ctatu de Incarnatione, & manifestè docetur à S.  
 Thoma locis §. præcedenti adductis. Major verò  
 suadetur: Tum quia vel sacramenta novæ legis  
 ipsum Christum realiter in se continent, ut sa-  
 cramentum Eucharistiæ, vel reputantur quasi  
 actiones ipsius, ut alia sacramenta, quæ consti-  
 tute in usu, verba enim profertur à ministris  
 in persona Christi. Tum etiam, quia sicut huma-  
 nitas est instrumentum conjunctum divinitatis,  
 ita sacramenta sunt ejusdem instrumenta separata,  
 idè que Concilia, Patres, & ipsa Sacra Scri-  
 ptura, eodem modo loquuntur de sacramento  
 & humanitatis Christi causalitate. Unde  
 D. Thomas quod lib. 12. art. 15. *Sicut caro Christi*  
*habuit virtutem instrumentalem ad faciendam mi-*  
*racula, propter conjunctionem ad Verbum; ita sacra-*  
*menta per continuationem ad Christum crucifixum*  
*& passum.*

Quinta ratio: Admittendus est in sacramentis  
 novæ legis modus producendi gratiam instru-  
 mentaliter physicè, si ille sit possibilis, & si non re-  
 pugnet aliquid corporeum, quale est sacramen-  
 tum, ad productionem rei spiritualis, qualis est  
 gratia sanctificans, elevari: Sed in hoc nulla est  
 implicancia: Ergo id de facto ita esse afferendum  
 est. Major patet, Tum quia id valde decet hu-  
 manitatem Christi, & ejus sacramenta; cum mo-  
 dus ille producendi gratiam, & sanctificandi ho-  
 mines, nobilissimus, & præstantissimus sit, & di-  
 gnitatem sacramentorum novæ legis supra sacra-  
 menta vetera, manifestè declarat. Tum etiam,  
 quia hic modus causalitatis ostendit, quanto  
 amore Deus dilgat & optet nostram sanctifica-  
 tionem, qui continua veluti miracula voluit ope-  
 rari, ut nos sanctificaret, elevando res corporeas  
 ad producendam in nobis rem a deo excellentem,  
 qualis est gratia sanctificans. Addo quod, juxta  
 hunc modum dicendi, melius & cum majori  
 proprietate intelliguntur & explicantur loca Scri-  
 pturæ, Conciliorum, & SS. Patrum, asserentium  
 sacramenta novæ legis homines sanctificare,  
 mundare, regenerare &c. ut ex supra dictis  
 patet.

Minor verò, in qua est difficultas, probatur pri-  
 mò ratione quam innuit S. Doctor infra qu. 75.

Tom. V.

art. 4. Deus cum sit rerum omnium dominus, &  
 ejus actio se extendat ad totam naturam ere-  
 abilis, eiq; ad nutum omnia obediant, quamlibet  
 creaturam potest assumere ut instrumentum phy-  
 sicum ad producendum quicquid est in potentia  
 saltem obedienciali alterius creaturæ: Sed gratia  
 sanctificans continetur in potentia obedienciali  
 animæ, cum ex ea educatur: Ergo potest Deus ele-  
 vare quamlibet creaturam, etiam corpoream, ad  
 producendam instrumentaliter, physicè gratiam  
 sanctificantem in anima.

Secundò eadem Minor suadetur: Intellectus  
 agens elevat phantasma corporeum, ut instrumen-  
 taliter causet species intelligibiles spirituales in in-  
 tellectu recipientes, ut Vazquez & plures alii ex  
 Adversariis fatentur: Ergo à fortiori Deus qui est  
 agens infinitæ virtutis, potest elevare aquam, &  
 voces sensibiles & corporeas, ut physicè gratiam  
 spiritualem & supernaturalem causet instrumen-  
 taliter in anima.

Tertiò, Ignis inferni est corporeus, & tamen à  
 Deo ut instrumentum physicum assumitur ad alli-  
 gandas substantias purè spirituales, quales sunt  
 dæmones, & animæ damnatorum, & virtute divi-  
 nâ dolorem & tristitiam in ipsis causat, torquetq;  
 miris, sed veris modis, ut supra ex Augustino dice-  
 bamus, & in Tractatu de Angelis fusè ostensum  
 est: Ergo pariter potest Deus elevare sacramenta,  
 ad producendam instrumentaliter physicè gratiam  
 sanctificantem in anima, ut magis patebit ex  
 dicendis articulo sequenti, ubi diluentur omnia  
 argumenta quibus Adversarii conantur ostendere  
 aliquid corporeum non posse divinâ virtute ad  
 producendam gratiam elevari.

ARTICULUS III.

Convelluntur fundamenta adversæ sententiæ.

Pura contra physicam sacramentorum novæ  
 legis efficientiam proponi solent argumenta,  
 quorum aliqua ex auctoritate, alia ex ratione pe-  
 tuntur: quæ sunt primi generis, §. 1. diluentur, alia  
 verò in sequentibus.

§. I.

Solvuntur argumenta ex auctoritate SS. Patrum.

Objiciunt in primis Adversarii quædam Pa-  
 trum testimonia, quibus physicam nostris  
 sacramentis videntur denegare causalitatem; ait  
 enim Author sermonis de Baptismo apud Cypria-  
 num, *Remissio peccatorum, sive per Baptismum, sive*  
*per alia sacramenta donetur, propria Spiritus Sancti*  
*est, & ipsi soli hujus efficientia privilegium manet.*  
 Hieronymus in cap. 4. *Matthæ: Ex hoc (inquit) disci-*  
*mus quod homo solum aquam tribuat, Deus autem*  
*Spiritum Sanctum.* Similiter Augustinus 15. de  
 Trinit. cap. 26. de Discipulis Christi ait, *Orabant ut*  
*veniret Spiritus Sanctus in eos, quibus manus impo-*  
*nebant, non ipsi eum dabant.*

Respondeo primò, quod si auctoritates illæ  
 convincerent, probarent sacramenta novæ legis  
 non conferre gratiam, ex opere operato, nec phy-  
 sicè, nec moraliter, ut patet illas ponderanti, unde  
 illæ ab Adversariis explicandæ sunt.

Respondeo secundò, Patres in quibus hæc & si-  
 miles locutiones inveniuntur, solum velle quod  
 Deus sit principalis author gratiæ, & quod

G ij

ho.